



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

Agobardus <Lugdunensis>

Parisiis, 1666

Opvscvlvm Secvndvm. De gratia & praescientia Dei, déque
praedestinatione & libero arbitrio, de spe itemac fiducia salutis, & de
sententia sancti Augustini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14657

illimque committit, de quo idem Psalmista dicit: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, Psal. 35.*
 & viam eius volet: illumque oret, atque supplicet dicens: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, Psal. 118.*
 & non dominetur mei omnis iniustitia. & iterum: *Deduc me Domine in via tua, Psal. 89.*
 & ingrediar in veritate tua. & cetera similia.

OPVSCVLVM SECVNDVM.

De gratia & præscientia Dei, deque prædestinatione & libero arbitrio, de spe item ac fiducia salutis, & de sententia sancti Augustini.

Opusculum hoc in veteri codice Amolonis Epistolam subsequitur, sine titulo, & ut apparet, sine principio.

GRATIAM itaque Dei credere debemus; qua humanum genus, nullis suis bonis meritis præcedentibus, sola Dei gratuita bonitate & misericordia salvatur per unum mediatorem Dei & hominum IESVM Christum. Quam gratiam commendat ipse Dominus in Evangelio dicens: *Venit enim filius hominis Lue. 19.*
 querere & salvum facere quod perierat. Hanc & Apostolus prædicat dicens: *Vt gratia Dei pro Hebr. 2.*
 omnibus gustaret mortem. & alibi: *Deus autem, Ephes. 2.*
 qui dives est in misericordia, propter nimiam

180 AMVLONIS ARCHIEPISCOPI
caritatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus
mortui peccatis, conuivificavit nos Christo. Hanc
significat gratiam, ubi dicit fidelibus: Gratia
salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis.
Dei enim donum est. Id est, utrumque, &
quod salvi facti estis, & quod per fidem salva-
ti. & salus vestra, & fides vestra. Per hanc gra-
tiam, id est, gratuitum donum suum, trahit
Deus pater quos vult ad filium suum. Trahit
autem, non necessitate, sed delectabili volun-
tate & amore. sicut ipse filius dixit: Nemo potest
venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit
eum. Trahit eosdem & ipse filius ad se, sicut
ipse dicit: Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia
traham ad meipsum. Hanc accipiunt in ba-
ptismo regenerati parvuli & maiores, & quoti-
die fideles in omni cogitatu, & opere, & se-
mone bono. Exhortatur videlicet, quod bonum
est inspirando: confirmat verò, quod inspiraverunt
conservando. Nullum est enim hominis bonum
quod non sit Dei donum. Per hanc gratiam no-
bis etiam quotidiana peccata humiliter confite-
ntibus & supplicantibus remittuntur, testantur
beato Ioanne Apostolo, & dicente: Si confite-
mur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remi-
tat nobis peccata, & emundet nos ab omni ini-
quitate.

PRÆSCIENTIAM quoque Dei credere
debemus, qua omnia in æterna scientia sua præ-
scivit, & præcognita ei sunt quæcunque futura
sunt. non solum bona, quæ ipse facit & remu-
nerat in suis, sed etiam mala quæ ipse non fa-
cit, sed tantum iudicat & damnat in alienis.
Vnde & Scriptura dicit: Qui nosti omnia ante

Ephes. 2.

Ioan. 6.

Ioan. 12.

1. Ioan. 1.

Dan. 13.

quam fiant. Ita namque in illa æterna præ-
 scientia, ei æternaliter & incommutabili-
 ter omnia præcognita sunt, sicut omnino fu-
 tura sunt. Et quia verissimè & certissimè præ-
 scivit, omnino ita erunt, sicut ea præsci-
 vit. De qua præscientia ejus Apostolus dicit:
*Nam quos præscivit & prædestinavit conformes
 fieri imaginis filij sui.* Præscivit credituros &
 non credituros: præscivit in fide perseveratu-
 ros, & non perseveraturos: præscivit in vita
 æterna futuros, & in igne æterno arfuros. Præ-
 scivit ergo & certum numerum sanctorum suo-
 rum. Vnde mysticè in psalmo canitur: *Qui nu-
 merat multitudinem stellarum, & omnibus eis
 nomina vocat.* & Apostolus: *Novit Dominus
 qui sunt ejus.*

Rom. 8.

Psalm. 146.

DEBEMVS etiam credere prædestinatio-
 nem & electionem sanctorum. quia eos, quos
 præscivit sua gratia salvandos & liberandos,
 prædestinavit, id est, præordinavit, & elegit,
 id est, à massa perditionis & societate reprobo-
 rum discrevit, ut ejus gratia fierent vasa mise-
 ricordia, quæ præparavit in gloriam. Non ita-
 que idcirco eos prædestinavit & elegit, quia
 præscivit eos ex semetipsis justos futuros: sed
 potiùs ad hoc eos præscivit & prædestinavit,
 ut eos gratis sua gratia iustificaret. Quod to-
 tum ita Apostolus testatur dicens: *Nam quos
 præscivit & prædestinavit, &c.* Hoc itaque eis
 præstitit præscientia & prædestinatio Dei, ut fie-
 rent quod non erant, id est, ut fierent confor-
 mes imaginis filij sui, & vocarentur vocatione
 non solius vocis exteriùs, sed & gratiæ inspiran-
 tis & adjuvantis interiùs. Hęc prædestinatio

Rom. 8.

Rom. 8.

Dei appellatur nonnunquam propositum Dei, sicut ait Apostolus: *Scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* De hoc proposito & gratia, ante mundi constitutionem, ante tempora eterna sanctis promissa

Tit. 1.

& donata, iterum dicit: *In spem vite aeternae, quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora secularia, manifestavit autem temporibus*

2. Tim. 1.

suis verbum suum. & alibi: *Secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quae data est nobis in Christo IESU, ante tempora secularia, manifestata est autem nunc, per illuminationem Salvatoris nostri IESU Christi.* De qua

Rom. 11.

vocatione dictum est, *Sine poenitentia enim sumus, id est, sine mutatione, dona & vocatio Dei.* Oportet itaque ut credamus, ipsum bonum perseverantiae sanctorum, non solum donum, sed etiam magnum & praecipue necessarium Dei donum. Quid enim prodest in his bonis esse coepisse, & ea ante finem vitae vel in fine perdidisse?

Eph. 2o

Oportet etiam ut credamus, liberum & rectum voluntatis arbitrium, ab initio homini à Deo naturaliter insitum, ita primae praevaricationis merito esse vitiatum, infirmatum, & depravatum, ut ad amorem veritatis & iustitiae assurgere non possit, nisi per donum Christi fuerit excitatum, sanatum, ac vegetatum, & à suae pravitatis vitio liberatum. Hinc enim Scriptura dicit: *Creavit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit questionibus.* Et post

hunc humanę depravationis lapsum quid sub-
jectum sit, eadem Scriptura sic dicit : *Sensus* Gen. 8.

*enim & cogitatio humani cordis prona est ad ma-
lum.* Hunc itaque liberi arbitrij languorem,
quo sensus hominis & cogitatio, ex vitio dam-
natę originis, prona & intenta est ad malum,
& ipsum liberum arbitrium tenetur captivum,
solus ille sanat medicus, solus ille liberat, &
reddit liberum liberator, qui de seipso ait :

Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Matth. 9.

& iterum : *Si vos filius liberaverit, tunc verę li-* Joan. 8.

beri eritis. Ipse liberum arbitrium reddit sua
gratia liberatum: ut sicut erat pronum & prom-
ptum ad malum, multo attentius & delectabi-
lius efficiatur pronum & promptum ad bonum.

De qua libertate Apostolus ait : *Vbi autem spi-* 2. Cor. 3.

ritus Domini, ibi libertas.

HÆc igitur gratia, & præscientia, & præde-
stinatio, & electio, & vocatio, sed & liberi ar-
bitrij dejectio & instauratio, tam clarę adnun-
tiata in Scripturis, fidelissimę & firmissimę
debent teneri à nobis. Quę non ad hoc adnun-
tiantur, ut hominem fidelem ab spe & fiducia
salutis dejiciant, aut frangant: sed ut humiliata
omni humana superbia, & omni de suis viri-
bus præsumptione deposita, subiciat se unuf-
quisque & commendet fideliter Deo regen-
dum, & ejus virtute protegendum, ejus boni-
tate juvandum, ejus gratia conservandum &
perficiendum. quę nulla est alia, nisi misericor-
dia & benignitas redemptoris, cujus morte vi-
vificamur, cujus sanguine redimimur, cujus
justitia absolvimur, cujus cruce salvamur, ut
fiat in nobis, non ad desperationem, sed ad sa-

2. Cor. 1.

lutem, quod Apostolus ait dicens: *Sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui vivificat mortuos.* & alio loco: *Ex ipso autem vos estis in*

1. Cor. 1.

Christo IESU, qui factus est sapientia nobis à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Quatenus totum ipse nobis sit, & nos toti ejus simus, non ex parte de nobis, & ex parte de illo fidentes, & unusquisque nostrum dicat ei

Psal. 118.

*fideliter cum Psalmista: Tuus sum ego, salvum me fac. Quid est enim, quòd ita se quodammodo familiaris Deo commendandum putavit, ut diceret, Tuus sum ego? nisi intelligi volens, quòd malo suo suus esse voluerit, quod est inobedientiae primum & maximum malum. Ideo tanquam dicens, Meus esse volui, & perditum me feci, Tuus sum, inquit, salvum me fac. Constantiter utique fidelis quisque Christo crede, eque te totum committe, quantum potest. Nolle velle esse quasi proprius, & in tua potestate, sed ejus clementissimi & utilissimi domini te servum esse profiteri. Ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi profit, etiam si nescias. Ipsa est namque Dei sapientia, quæ loquitur & admonet dicens: *Ego mater pulchre dilectionis & timoris, & agnitionis & sanctæ spei, in me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vite & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscunt me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum. Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt.* Pro hac vir sapiens orat dicens: *Mitte illam de**

Eccli. 24.

timoris, & agnitionis & sanctæ spei, in me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vite & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscunt me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum. Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt. Pro hac vir sapiens orat dicens: *Mitte illam de*

Sap. 2.

LVGDVNENSIS OPVSCVLA. 185
sanctis coelis tuis, & à sede magnitudinis tue, ut
mecum sit, & mecum laboret, & sciam quid ac-
ceptum sit apud te.

NEQVE contrarium putari debet, quod in
dictis sancti Augustini, forsitan & aliorum ca-
tholicorum Doctorum, aliquotiens inveniri
solet, impios quoque ad æternam damnatio-
nem, sive ad æternum interitum prædestinatos.
Quia omnipotens Deus, quos in peccato suo,
sive originali, sive etiam actuali, atque in im-
pietate prævidit esse perituros, non eos sua di-
vina potestate, quasi præjudicando, prædesti-
navit ad malum, ut eos velut ipsa prædestina-
tione cogeret malos esse, atque ad æterna ma-
la toleranda pervenire: sed quos vel ex justè in
Adam damnata origine, vel etiam propria im-
pietate, perpetuæ damnationis reos futuros ef-
se præscivit, justo eos iudicio, tanquam om-
nium præsciis, ad æternum interitum præordi-
navit, & præordinando utique prædestinavit.
Sed jam audiamus beatum Augustinum, quo-
modo & ipse, post Apostolum præcipuus præ-
destinationis & gratiæ prædicator, hortetur fi-
deles ad studia pietatis, & instantiam oratio-
nis, ut mereantur accipere præmium vocatio-
nis. O si cor esset, inquit qualitercunque sus-
pirans in illam ineffabilem gloriam! ô si pere-
grinationem nostram in gemitu sentiremus, &
seculum non amaremus, & ad eum qui nos vo-
cavit pia mente perpetuò pulsaremus! Desi-
derium sinus cordis est, capiemus, si deside-
rium quantum possumus extendamus. Hoc no-
biscum ait & scriptura divina, hoc congrega-
tio populorum, hoc celebratio sacramentorum,

Tract. 40.
in Ioan. 13.
fine.

« hoc baptismus sanctus, hoc cantica laudis Dei,
 « hoc ista nostra disputatio, ut hoc desiderium
 « non solum seminetur & germinet, verum
 « etiam in modum tantæ capacitatis augeatur,
 « ut idoneum sit sumere, quod oculus non vi-
 « dit, nec auris audivit, nec in cor hominis as-
 « cendit. Sed amate mecum. Non multum amat
 « nummum, qui amat Deum. Et ego palpavi in-
 « firmitatem. Non sum ausus dicere, non amat
 « nummum, sed non multum amat nummum:
 « quasi amandus sit nummus, sed non multum.]
 « O si Deum dignè amemus! nummos omnino
 « non amabimus. Erit tibi nummus instrumen-
 « tum peregrinationis, non irritamentum cupi-
 « ditatis, quo utaris ad necessitatem, non quo
 « fruaris ad delectationem. Deum ama, si ali-
 « quid in te egit quod audis & laudas. Vtere
 « mundo, non te capiat mundus. Quod intrasti
 « iter agis. Exiturus venisti, non remansurus. Iter
 « agis, stabulum est hæc vita. Vtere nummo, quo-
 « modo viator in stabulo utitur mensa, calice, ur-
 « ceo, lectulo, dimissurus, non permanens. Si
 « tales fueritis, erigite cor qui potestis, & audite
 « me. Si tales fueritis, ad ejus promissa venieris.
 « Non enim multum est ad vos, quia magna est
 « manus ejus qui vos vocavit. Vocavit, invoce-
 « tur. Dicatur illi: Vocasti nos, invocamus te.
 « Ecce audivimus vocantem: audi invocantes.
 « Perduc quò promisisti, perface quod inchoasti.
 « Noli deserere munera tua, noli deserere agrum
 « tuum. Germina tua intrent in horreum. Abun-
 « dant tentationes in mundo, sed major est qui
 « fecit mundum. Abundant tentationes, sed non
 « deficit, qui in illo spem ponit, in quo defectus
 « nullus est.